



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1581 usque ad annum 1589

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118650

§. 18. Arimensis Regis literæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67246](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67246)

§. XVIII.

Sæcul. XVI.
A. C. 1585.*Arimensis Regis literæ.*

Reliquæ duæ epistolæ tam Protasii Arimensis Regis, quam Bartholomæi Omuræ Principis eadem ferme submissione erant conscriptæ, earum autem inscriptio erat sequens: *Reddatur Epistola Magno illi, & sancto Domino, quem adoro Dei vices gerentem:* epistola vero sic habebat: *cum Dei gratia demisse, & humiliter has literas offero Sanctitati vestræ. Ante hoc biennium, qui fuit annus ab adventu Domini millesimus quingentesimus octuagesimus, per quadragesimam, quibus maxime diebus pretiosa Passio Domini Nostri Jesu Christi recolitur, in magnis belli tumultibus, magna mearum rerum, familiarumque meæ perturbatione, denique in profundo gentilium tenebrarum jacenti mihi, dignatus est Pater misericordiarum lucem veritatis, & rectum ad salutem iter ostendere, per venerabilem Visitatorem, aliosque verbi Dei prædicatores & Societate Jesu, qui enixe me adjuverunt, perque Baptismi Sacramentum super me, meosque divinæ gratiæ rorem de cælo evocarunt, pro quo tali, ac tanto beneficio mire lætus, infinitas Regi cælorum ago gratias, cumque Sanctitas vestra Christianum gregem universum moderetur, & pascat, valde mihi fuit optatum, isthus venire, coramque humi*

S 5

stratus

Sæcul. XVI. *Aratus magna cum submissione exhibere illi*
A. C. 1585. *obedientiam, & post pedum oscula beatorum, eosmet meo capiti superimponere: sed quoniam variis rebus impedito id mihi non licet, mitto cum eodem P. Visitatore patruelem meum D. Michaellem, ut pro me hoc munere pietatis, officiique fungatur. Ex eo ipso mea vota, & alia cognoscet Vestra Sanctitas, ac proinde non ero fusior, quam ego ex animo sincero, & humili venerandus adoro. Die octava Januarii anno post Christi adventum millesimo quingentesimo octuagesimo secundo. Subscriptio: Sanctitatis vestræ substernitur calceis D. Protasius.*

§. XIX.

Epistola Omuræ Principis.

Denique Omuræ Princeps, qui ob adoptatam Christi fidem toto ferme Principatu pulsus incredibili animi fortitudine constantissime in suscepta Religione vera perseverabat, ac postea Dei auxilio cunctas sibi ereptas ditiones recuperabat, hunc in modum epistolam suam inscripsit: *Sublatis manibus adorans offero hæc Sanctissimo Domino Papæ Magni Dei vices gerenti. Porro hæc erat epistolæ series: Vereor, ne crimen audaciæ subeam: attamen cum Regis Cælorum gratia rudem hanc Epistolam offero Sanctitati vestræ, quæ cum in terris locum obtineat*